


DESCRIPTIONIS
INDIÆ OCCIDENTALIS,
LIBER DECIMUS QUARTUS.
RIO DE LA PLATA.

C A P. I.

*Praefectura sive Provinciae Rio de la Plata generalis descriptio, cœli
soliisque qualitates.*



UPERIORI libro Magallanicam absolvimus, & descriptionem hujus Continentis perduximus ad magni Fluminis *de la Plata* æstuarium, nunc de præfectura provinciarum quæ à magno hoc flumine nomen sortiuntur, nobis agendum erit. Praefectura hæc quæ plurimas & vastissimas regiones complectitur, fines habet, ad orientem quidem Oceani Atlanticum, qui oras illius lambit; ad Austrum autem Magallanicę illam partē quam postremo descripsimus; ad occidentem porro ubi angustissima est, provinciam *Tucumanam*, ubi autem latissima, provincias illas quæ ad Peruviam pertinent; ad Septentriones denique secundum oram Oceani At-

lantici dividitur à Brasilia viginti quatuor aut circiter gradibus ab Äquatore versus Austrum; intra continentem vero ab hac plaga incertis limitibus continetur & vastis regionibus concluditur nondum satis perlustratis, uti in progressu dicturi sumus.

Solum omnium harum provinciarum admodum fœcundum est, & tritici aliarumque Europæarum frugum feracissimum, nec vitium impatiens, Sacchari quoque cannarum egregie fertile. Abundat jam regio omnis generis armentis atquè pecudibus quæ ob pascuorum copiam & bonitatem ingens incrementum ceperunt: juventorum quoque ingens hic copia: *Lupus* enim *Vazius* testatur, & res palam est, triginta equas & septem caballos ab Hispanis, quum *Buenos Aires* oppidum superioribus annis desererent, hic relictos, quadraginta circiter annis ita foecificasse & tantum incrementum cepisse, ut omnis vicina ad Austrum regio equis pene compleretur, & innumeri indomitorum equorum equarumque greges vicinas sylvas & campestria loca hodie pervagentur.

Cervi hic triplicis generis reperiuntur, nam quidam permagnisunt & armentis mole pene pares, vastis & arboreis cornibus qui potissimum in palustribus locis & arundinetis degunt: alii paulo maiores hircis, qui arva frequentant; alii denique capris semestribus non multo maiores, qui montana pervagantur: sunt & quamplurimæ hic capreæ & apri sylvestres qui umbelicum in tergo obtinent, quorum caro gratissimi saporis est & non insalubris ita ut etiam ægris hic eas apponant: præterea quoque sues Europeæ, magnæ molis & immenso numero.

Cercopithecorum infinitus hic numerus, prolixis barbis & longis caudis & mole pene humana, qui horrendum strident & ejulantur quum sagittis petuntur, & icti sagittas evellunt & in obvios retorquent: alii item minores & imberbes. Nec vulpeculæ hic desunt, & alia animalcula rictu ita angusto, ut vix formicam ingurgitare possint, cæterum innoxia neque hominibus infesta.

Ferarum quoque ingens hic numerus, quales sunt tigres, leones, aliaque animalia ferocia & hominibus infesta: quibus accedunt varii angues & serpentes, quorum quidam quatuor orgyas longi sunt & tam vastæ molis, ut integros cervos cum cornibus de-

bus devorent, hominibus haud adeo infesti & lacertorum variæ species: in fluminibus insuper & paludibus capiuntur crocodyli, octo novemve pedes longi & innocui, quorum caro affa & pinguis est & boni saporis.

Hic & Chameleontes feruntur reperiri modici lacerti mole, qui fætus suos circumgestant & ore semper hiante aërem hauriunt, animal penitus innocuum.

Licet autem superioribus annis constans opinio fuerit regiones hasce metallorum omnium expertes esse, tamen haud ita nuper non modo æris & ferri, sed & auri atque argenti venæ hic repertæ; & præstantissimarum gemmarum quas vocant Amethystos.

De cœlo & aëris temperatura nihil in communi dici potest, quia pro terrarum vario situ multum variat, uti suis locis à nobis indicabitur. Vt neque de indigenis de quibus postea singulatim dicetur.¹⁰

Omnis denique hæc regiones unum habent Præfectum, qui Proregi Peruviæ subordinatur; unum item Episcopum sub cuius diœcesi non modo Hispani censentur qui has regiones oppidatim incolunt, sed & variæ indigenæ. De oppidis quæ hic ab Hispanis habitantur, postea dicemus, nunc ante omnia de Flumine quod Præfecturæ nomen dedit, agemus.

Observandum denique iis qui has provincias petunt, ex Hispania ipsis solvendum esse ante medium Augustum, ut hic appellere possint sub finem Novembris, tunc enim hic æstas est & aura leniter afflat ab arcto & aquilone, Brisas vocant Hispani: nam si serius ex Hispania solvant, sub Kal. Martias hic appellere pene necesse est, quum jam hyems in hisce partibus ingruit, & venti ab Austro atque Euro valide perflant (*Vendavales* vocant) & æquor supra modum æstuosum & navigantibus infestum redunt, ita ut sæpenumero ad Insulam. *S. Catalinae* hybernare cogantur.

C A P. II.

Fluminis de la Plata prima inventio, & variæ Hispanorum intra flumen hoc expeditiones.

Her. d. 2. l. d. c. 7. **I**NGENS hoc flumen, quod jam vulgo *Rio de la Plata* audit, primus adiit anno c¹⁵o I^o xv *Ioannes Dias de Solis*, qui vastum illius æstuarium invectus, ascendit ad certam insulam, triginta & quatuor gradibus & quadraginta scrupulis distantem ab Äquatore versus Austrum, uti ab authoribus proditum invenio; in qua quum plurima barbarorum mapalia conspexisset & ab iis ultro invitaretur, inconsultius in terram descendit & cum pluribus suorum ab inhumanis barbaris cæsus & devoratus fuit; & nomen *de Solis* tum quidem flumini inditum aliquandiu hæsit.

d. 3. 1. 9. cap. 3. Postilla anno c¹⁵o I^o xxvi missus fuit *Sebastianus Cabotus*, qui ab Anglis ad Hispanos transferat, ut per fretum Magallanicum in Oceanum Australem penetraret & ad Moluccas pervaderet; sed ob annonæ inopiam, navalibus Sociis tumultuantibus, hoc flumen ingressus, triginta circiter millaria ascendit, & ad Insulam quæ hodieque nomine *S. Gabrielis* ab ipso tum imposito nota est, proiectus, ibidem anchoras cum onerariis suis jecit; cum liburnicis vero & cymbis circiter septem leuc. adverso flumine subvectus, amnem offendit cui *S. Salvatoris* nomen dedit; is ex illa parte quæ ad Brasiliam vergit exiens, altissimo suo alveo peropportunam navibus stationem promittit; hic ergo totam suam classem subduxit, & vallo jacto locum in continenti communivit, ut tutius hic naves suas reficeret. Dein cum una liburnica & pluribus cymbis flumen ascendere & penitus interiora lustrare est aggressus. Postquam autem triginta leuc. ascendisset, alium fluvium offendit quem barbari vocabant *Zarcaran-nam*. Hic barbari degebant industria, prout fert captus illorum, non vulgari; quare hic quoque castellum *S. Spiritus* vel *Gaboti* ab ipso structum & præsidiarii impositi: hinc flumen *Paranam* ingressus quamplurimas insulas in illo sparsas invenit & plurimos amnes qui in magnum hunc alveum se condunt, est prætervectus, & quum pene ducentas leucas ascendisset, ad alterum flumen pervenit quod à barbaris *Paraguay* dicebatur: atque hic magno *Paranae* alveo ad dexteram relicto, quod nimium versus Brasiliam declinare judicaret, *Paraguayum* subiit & circiter triginta quatuor leucas proiectus, barbaros invenit colendis agris intentos, quales hactenus nullos hīc offen-derat. Cum his haud incursum ipsi certamen fuit, viginti quinque è suis deside-ratis,

ratis, & magna barbarorum multitudine cæsa. Hic castellum *S. Annae* ab ipsis stru-tum. Atque hæc aliquot mensibus ab ipso gesta.

Anno vero cl^o l^o xxvii ad flumen hoc de la *Plata* feliciter appulit *Didacus Gar-sias Lusitanus*, qui superato Arctoo hujus fluminis promontorio, (quod vulgo *Cabo de S. Maria* appellatur, cuique objacet exigua insula, quam ob piscandi opportunitatem de los *Pargos* vocant) ad insulam de las *Palmas* pervenit, quæ tutam navibus stationem præberet & peropportuna est iis qui Fretum Magallanicum petunt; circa pro-montorium aut ad oram illi vicinam nulli barbari incolere videntur; paululum au-tem intra flumen ad oram subeuntibus dextram, degunt barbari quos vocant *Char-ruas*, qui ferina & piscibus vitam tolerant: ab Insula de las *Palmas* aduerso flumine ascensit ad insulas de las *Piedras*, sexaginta circiter leucas à promontorio *S. Mariae* versus occidentem: hic liburnicam molitus, quam navi sua advexerat, eadem flumen porro ascensit, & statim vestigiis Christianorum deprehensis, paulo post duas *Gaboti* naves invenit, & mox ad castellum *S. Spiritus* pervenit: hinc magnum *Paranae* alveum sequens, viginti quatuor diebus tantum itineris absolvit, quantum *Gabotus* vix ali-quot mensibus, & ad *Paraguay* in *Paranam* confluentem promovit, atque tandem *Gabotum* in castello *S. Annae* invenit: à quo conjunctim ad naves *Gaboti* redierunt. Quia autem hic nonnihil argenti à barbaris acceperant, (nullum autem hactenus ex America in Hispaniam adiectum fuerat) Flumini huic nomen Argentei imposue-runt, id enim sonat vulgare nomen *Rio de la Plata*.

Gaboto autem in Hispaniam reverso, fluminis hujus perlustratio conquievit usque ad annum cl^o l^o xxxv; hinc missus *Petrus de Mendoza* cum undecim navibus & octingentis viris: qui Flumen ingressus, quum ad insulam *S. Gabrieli* ascendisset, ad sinistram illius ripam oppidum moliri cœpit, cui nomen impositum *Nostra Sennora de Buenos Aires*; ubi fame & omnium rerum ad vitam necessiarum inopia quamplurimi-sos suos amisit: itaque Legatum suum *Ioannem de Ayolas* dimisit, ut annonam à bar-baris conquireret, qui modicam retulit, denique postquam magno labore & ex-i-guo profectu varia loca lustrassent, *Ayola* quidem hic substitut; *Mendoza* autem in Hi-spaniam remeans in itinere obiit: Sed quia nobis non est propositum integrum rerum gestarum historiam scribere; hoc tantum addam, nihil hic magni aut præclarri ab Hi-spanis actū ante ann. cl^o l^o xl quo hic venit *Alvarus Nunnez Cabeca de Vacca* & tum pri-mum provincias hasce penitus lustrari & varias colonias Hispanorum deduci capisse.

C A P . III.

Fluminis de la Plata descriptio secundum Herreram & Martinum del Barco.

INGENS hic fluvius & inter vastissimos hujus Americæ Meridionalis, post *Amazo-num* fluvium facile secundus, (nisi forte huic quoque præcellat) ab Indigenis *Para-na*, id est, pelagus, & *Paranaguazu*, id est, magnum mare appellatur; habens ad mare atlanticum vastum atq; amplissimum æstuarium; xxx enim & ii leucas est latum, evol-viturq; inter duo promontoria, quorum ingredientibus dextrum *S. Mariae*, sinistrum sive Australe *Blancum* vel etiam *S. Antonii* appellatur. Interius autem decem fere leuc. latus est, & plurimas insulas complectitur, & inumeros pene amnes dextra levaq; in se admittit; creditur autem prodire è lacu, qui à gente quæ illum accolit, de los *Xarayes* appellatur, circiter ccc leucis ab ostio illius aut forte pluribus: in hunc lacum pluri-mos amnes & imprimis illos qui ex orientali Andium Peruvia latere, atq; adeo in ipsa Peruvia oriuntur, volunt descendere; Exque eodem & alterum. fluvium egredi versus Arctum, qui in ingens *Amazonum* flumen descendant, de quo suo loco dicetur.

Martinus del Barco in poëmate quod *Argentina* inscribitur, paulo latius de hoc flumine commentatur, à promontoriis ad Oceanum Atlanticum exordiens, quæ triginta quinque leucas distare scribit; atque illud quidem quod Australe latus clau-dit humile esse, & oram quæ ab illo ad *Buenos Ayres* usque pertinet, similiter declivem; oram autem utramque multis periculis obnoxiam esse, sinistram quidem ob humilitatem & crebra vadorum brevia, dextram vero ob Australes ventos qui valide in illam impingunt; quinetiam ob barbarorum ferociam, qui utrimque acco-lunt, & plurimos mortales neci dederunt.

Porro juxta promontorium *S. Mariae* duæ jacent insulæ, quas vocant *de Lobos*, à lupis marinis; & paulo interius rursus duæ, quas vocant *de Flores*, & ab iis triginta leucarum intervallo septem insulæ *S. Gabrielis*, è regione oppidi *Buenos Ayres*. Flumen hic novem aut circiter leucas latum est & hactenus satis altum, præter duo aut tria vadorum brevia circa Insulas *Maldonati* & *Ioannis Ortizii*; verum supra insulas *S. Gabrielis* vadousum esse incipit & non sine discrimine navigatur.

Ab hisce porro ad insulam *Martini Garzie* duodecim numerantur leucæ, hæc sesquileucam longa est & dimidiæ lata, plurimis arboribus vestita, nec arvis ad fermentem faciendam idoneis destituta. Petrus de Mendoza hic aliquot suorum collocauerat, uti & postea *Ioannes Ortizius de Zarate*. Hactenus una navis è classe *Ioannis Fentoni* Angli, qua *Ioannes Dracus* vehebatur anno 1582 ascenderat, sed illa ibidem fracta, *Dracus* cum paucis servatus, miseram vitam aliquandiu inter barbaros toleravit & tandem evasit.

Ab Insula *Martini Garzie*, ad *S. Lazari* insulam sunt quatuor leucæ, ea distat à ripa dimidiæ leucam; & pari pene intervallo egreditur hic è continentis fluvius *Vraygh* dimidiæ leuc. in ore latus: & paulo ultra amnis cui *Gabotus* nomen *S. Salvatoris* indiderat.

Ab hoc ad fluvium *Hum* (vulgo *Rio Negro*) sunt duæ leucæ; hic è cœnosis & palustribus locis, leni alveo defluens, subnigras undas devehit (unde illi nomen) & multis piscibus fœtus est.

Hinc porro magnum flumen se undecim ingentibus & latissimis alveis pandit, qui permagnis insulis distinguuntur, amoenis & herbidis, quæque omnes à gente barbara incoluntur, *Guaraynes* vulgo vocant. Supra has insulas, quarum quædam duodecim & plures leucas in longitudinem patent, fluminis alveus priorem latitudinem servat, ripæ à variis barbaris accoluntur.

Ad sinistram autem subeuntibus ripam, viginti circiter leuc. præter dictas Insulas, oppidum *S. Fidei* jacet, & supra hoc centum pene leuc. aliæ insulæ amnicæ quæ à *Cherandum* gente habitantur.

Octuaginta supra has leucis fluvius *Paraguay* cum *Parana* se conjungit: *Parana* autem hic se flebit versus ortum, ad quem porro jacet provincia *S. Annae* partim campestris, partim etiam paludosa, *Guaranyis* barbaris habitata.

Penna Pobre, ut vocant, paulo ulterius sita est, editissima rupes, supra quam sunt gurgites multarum cymbarum naufragio nobiles & porro Cataractes ubi fluvius cum magno murmure præceps ruit; juxta quem oppidum *Guayra* jacet & supra hoc quadraginta leucarum intervallo aliud Hispanorum municipium cuius nomen non proditur. Hactenus de *Parana*.

Paraguay. Flumen autem *Paraguayum* ad sinistram sui ripam primo accipit nobilem amnem *Ipitum* qui leniter per campestria defluit; & mox *Parannamirum*, qui insulam triangularem (quæ circiter duodecim millaria patet) à reliqua continente dividens, ad *Paranam* contendit. Juxta *Ipitum* quoque jacet lacus quem ab accolarum nomine *de los Mahomas* vocant, qui ad fluvium pertingit, quem vulgo *Vermeio* vocant, in quo uniones reperiri volunt. Hinc *Paraguay* alveus nonnihil angustior fit, & quatuor leuc. infra oppidum *Assumptionis* recipit in se fluvium *Pilcomaium*, qui è *Charcarum* provinciis descendit & hic ab accolis vocatur *Araquaygh*. Hactenus è *Martini del Barco Argentina*.

C A P. IV.

Eiusdem fluminis descriptio secundum varia Hispanorum itinerarya nautica: & unum Nostrorum.

TINERARIA nautica (vulgo *Roteiros*) ab Hispanis prodita, quæ potissimum fidem in hisce rebus merentur, nonnihil variant in hoc flumine describendo, ab ostio sive æstuario fluminis ad insulas *S. Gabrielis*.

Alia enim à Promontorio *S. Mariae* quod extimum est oræ septentrionalis versus ortum, ad fluvium *de Solis* decem leucas numerant, ab hoc ad colles, quos vulgo vocant *los tres Mogotes*, tres; ab illis denique ad Insulas *S. Gabrielis* octo aut novem, atque ita

ita in universum à Promontorio ad hasce insulas , leucas tantum duas supra viginti , quod intervallum , vero longe minus est.

Alii accuratius hæc intervalla metentes , ab insula *de Lebos* quæ dicto promontorio objacet , ad Insulam *Maldonati* numerant leucas quatuor , ab hac ad terræ cornu totidem ; à terræ cornu ad Insulam *Florum* decem ; ab hac ad montem *Vedium* quinque ; & ab hoc totidem ad Insulas *S. Gabrielis* ; atque ita conficiunt leucas viginti & octo.

Insulæ *S. Gabrielis* his sunt quinque , minores . Ab hisce ad fluvium *S. Ioannis* ad ripam ascendentibus dextram numerant tres leucas : hujus ostium vadosius est , ideoque non sine discrimine aditur , non nisi minoribus navigiis patens .

Ab hoc fluvio ad Insulam *Martini Garzia* quæ gentili nomine *Minga* appellatur , tres itidem sunt leucæ . Ab ista ad exiguae insulas vel potius scopulos *S. Lazari* sunt duæ leucæ : ad primum autem ostium fluminis *Paranae* , octo : flumen enim hoc pluribus insulis in diversa ostia dividitur , quorum id quod ad occidentem extremum est , ut plurimum ab Hispanis navigatur , & peculiari nomine *Rio de las Palmas* dicitur .

Qui flumen *de la Plata* ascendunt , studiose cursum suum instituunt secundum ripam Septentrionalem utpote editorem , ubi fluminis alveus altissimus deprehenditur ; fit tamen interdum , ut ratione non bene subducta ad Australē promontorium deflestant , quod *Cabo Blanco* vulgo dicitur ; itaque hic observandum , ab hoc promontorio ad oppidum *Buenos Ayres* ripam omnem humilem & undis pene æqualem esse , & hanc Continentis partem à sævis barbaris habitari qui advenas omnes inhumaniter , quem licet , devorant : ab oppido vero hoc ad dictum flumen *de las Palmas* oram sensim se attollere ; duodecim autem leuc. sursum tendentibus ad hanc ripam , obviam fieri exigua insulam *Ioannis Ortizii* .

Sed ab Insula *Martini Garzia* redordiamur : ab illa ad *S. Salvatorem* , (quæ est insula duas circiter leucas intra primum *Paranae* fluminis ostium ; à *Gabota* quondam inventa , sunt novem aut decem leucæ ; terra autem quæ ad dextram jacet incolitur à barbaris , quos *Carioos* vocant , qui Hispanis , uti fatentur , impensis sunt infesti .

Porro flumen *Palmarum* , uti & reliqua brachia , in quæ magnum flumen ab insulis dispescitur , fere sedecim leucas ascendunt , antequam rursus conjungantur ; præter unum brachium , (quod vulgo *Rio de los Beguaes* vocant) quod quadraginta leucas ascendere volunt , antequam in ipsum *Paranam* desinat ; ad hoc brachium patet aditus per flumen *de las Palmas* (qui & ipse brachium est majoris fluminis) qui autem *S. Spiritum* petunt , ingrediuntur atque ascedunt istud brachium .

Sursum autem ascendentibus ad sinistram , multæ insulæ , lacus & amniculi prætereundi sunt , ubi barbari inhospitales & advenis infesti degunt .

A primo ingressu fluminis *de las Palmas* ad *Sanctum Spiritum* numerant leuc. quinquaginta à *S. Spiritu* ad *Tenbuyorum* regionem quindecim : à *Tenbuyis* ad *Quiloacis* viginti ; à *Quiloacis* ad Hispanorū coloniam quindecim ; ab his ad *Maqueretas* viginti ; ab his ad *Mepenes* triginta ; intermedio autem spacio plurima sunt vada & regio omnis ad sinistram stagnis & paludibus squallet , nihilo secius tamen à multis barbaris incolitur , qui Hispanis sunt infesti : ab illis ad ostium *Paraguay* triginta , & solum editius est minusque stagnis & paludibus impeditum .

Circa ostium autem *Paraguay* , magnum flumen *Parana* ab altero hoc veluti divortium facit , & fere recta ad arctum tendens , circiter septuaginta supra centum leuc. ascendiit ad oppidum *Piquiri* , sed difficulter hoc flumen navigatur ob crebra vada & vortices , & non sine metu accolarum , qui pessimi quidem sunt singuli , sed inter se discordes .

Flumen autem *Paraguay* sursum tendens versus corum circiter sexaginta leucas , supra divortium hoc , habet oppidum *Assumptionis* : à quo ad lacum *Xarayum* circiter ducentas leucas numerant ; ripæ utrimque à barbaris habitantur qui pene omnes jam Hispanis propitii sunt facti .

Laurentius Bickerus Belga , qui superioribus annis Flumen hoc adiit annotat , è regione Promontorii *S. Mariae* sitam esse insulam *de Lobos* quinque & triginta gradibus ab Äquatore versus Austrum : insulam *Maldonati* ab hac abesse millaria tria : Insulam

autem *Florum* ab jam dicto promontorio milliaria viginti. Tria autem & quinquaginta milliaria intra flumen vadum extare, milliare longum, sed angustum, à ripa Septentrionali sesquimilliare disjunctum.

Nostrates qui anno c. 1515 cxxviii hic fuere, observant Insulam *de Lobos* distare à Promontorio *S. Mariae* circiter quatuor milliaria: ab hac ad Insulam *Maldonati* esse totidem milliaria: exigua est insula & angusto Fretu à Continente dissipata, arborifera & præpingues capras aleans. Ab hac insula sive à Promontorio *S. Mariae* ad insulam *Florum* numerant septemdecim milliaria, & porro ad Promontorium de *Monte Seredo*, quinque, ita ut ab uno promontorio ad alterum numerent septendecim milliaria; inter insulam autem *Florum* & *Montem de Seredo* egreditur fluvius ¹⁰ *de Solis*. Denique judicant urbem *Buenos Ayres* tantum duas & quadraginta leucas distare à Promontorio *S. Mariae*.

C A P. V.

Barbari qui flumen Argenteum accolunt, eorum ingenia & mores.

Her. d. 5.
l. 9. c. 10.
d. 5. l. 10.
c. 15. **F**LUMINIS hujus ripas utrumque, inde ab ipso æstuario, accolunt variæ nationes barbarorum & quidem primo ad Australem illius ripam, ad quam oppidum *Buenos Ayres* situm est, commemorantur ab Hispanis, *Quirandies*, vaga natione quæ Scytarum in modum saepe sedes suas mutat, & in tuguriis vicatim degit, ferocissima & humanis carnibus vesci solita, agilis & pugnax, quæ Hispanis superiori seculo multa damna atque excidia intulit.

d. 6. l. 17.
c. 5. Flumen ascendentibus obvii fiunt *Timbues* & *Carcaraes*, qui lacum accolunt & piscibus ut plurimum victitant; hi superiori seculo quum primum Hispani duce *Petro de Mendoza* has regiones lustrarent, advenas humaniter receperunt, ita ut *Mendoza* in ipsorum provincia municipium conderet *Bona Spei* nomine.

d. 7. l. 1.
c. 8. *Paraguayum* flumen accolunt *Ameguas* qui piscibus victitant: diversâ parte *Carioes* (qui alibi *Caribes* appellantur) hi & agros colunt & armenta atque pecudes alunt. Hos, sed satis longo intervallo, excipiunt *Payaguas*.

d. 6. l. 17.
c. 5. Et porro in interioribus provinciis, *Chanes* & *Chimenei* atque *Carcaraes*, apud quos fama est plurimum auri atque argenti reperi. Hi *Petro de Mendoza* has provincias lustrante, Legatum illius *Ioannem de Ayolas*, ex *Chanum* provincia cum copiis suis redeuntem, pene ad internacionem ceciderunt.

d. 7. l. 1.
c. 8. Anno à Christo nato c. 1541 ad has provincias cum imperio missus fuit *Alvarus Nonnius Cabeça de Vaca*, qui quum adversa tempestate rejectus æstuarium fluminis ingredi non potuisset, ad continentem inter promontorium *S. Mariae* & *Brafiliam*, copias suas exposuit, & à flumine *Itabucu*, viginti circiter leucis ab Insula *S. Catharinæ* iter suum exorsus, per altissimos montes & densissima nemora, viam securibus passim aperiens, novemdecim diebus, tandem in apertam, campestrem & bene cultam provinciam penetravit; quam idcirco *del Campo* appellavit; hanc *Armiri* populi incolebant; & unius diei ab his itinere *Cipoayi*, & post hos *Tocanguazuni*: hi populi etiam communi nomine *Guaranyes* ferebant: *Mayzii* sententem bis quotannis facere sueti: abundant cassave, gallinis, anseribus, psittacis, quos cicurant & nutriunt domi: cæterum vindictæ avidissimi, ut fere omnes sunt barbari, & humanarum carnium appetentes. *Alvarus* huic provinciæ *Veræ* nomen imposuit.

Yguazu
fluv. Ab hoc profectus ad fluvium *Yguazu* pervenit, & postero die *Tibagum* fluvium cum summo discrimine superavit. Hinc ad *Taquarim* amnem processit ad cuius ripam situs erat pagus *Abangobius*; huic haud longo intervallo proximus est pagus ⁵⁰ *Tocangusir*; ubi altitudinem dimensus, observavit hunc locum quatuor & viginti gradibus ab Æquatore distare versus Austrum. Haec tenus omnis regio campestris, amœna, fertilis, pluribus amnibus rigua & nemorosa fuerat.

Hanc excipit solitudo, partim montibus aspera, partim tristi uligine squallida, & arundinetis atque opacis silvis pene invia.

Ex hac solitudine cum summa difficultate eluctati, rursus in planiciem descendunt,

runt, quam iidem *Guaranies* incolunt tandemque ad rapidum flumen *Piquirin* procerunt, quinque & viginti gradibus ab Æquatore versus Austrum. Omnis *Guaranium* regio amœna est & fæcunda, atque adeo nisi indicia fallant, haud expers metallorum, verum incolæ sunt ferociissimi & anthropophagi.

Post ostendit iter rursus in flumen *Iguazu* inciderunt, quod variis flexibus in occidentem tendens, tandem in *Paranum* se condit. Atque ita porro progressi ad *Paranum* pervenerunt, ad altitudinem quatuor & viginti graduum; quo superato novem dierum iter restare scribunt ad oppidum *Assumptionis*. *Paraguayum*; præterea accolunt *Agazes*, vasto corpore & robusto, qui sementem facere insueti, vicinorum Her. d. 7. c. 4. l. 14. suorum agros populantur, & maxime in flumine lintribus suis piraticam exercent. Sed hosce Hispani penitus exciderunt, ut *Martinus del Barco* in sua Argentina canit. His vicini sunt *Guayacurves* ejusdem molis, ferociæ & agilitatis.

Idem flumen ascendentibus occurunt *Cacoves* qui & agros colunt & plures gallinas alunt, provincia ipsorum metallis fæta esse creditur. Supra hos degunt *Guaxarapi* ad ripam fluminis, quod è finibus Brasiliæ, ut opinantur, profluenst tandem novemdecim circiter gradibus ab Æquatore versus Austrum in *Paraguayum* influit. Regio autem quæ ab hisce incolitur humilior est & inundationibus obnoxia, itaque barbari hi, quum flumen ripis suis continetur, ad easdem accedunt & piscibus capiendis dant operam, qui ipsis fere pro annona sunt: flumine autem ripas suas excedente, & vicinas terras longe lateque inundante (quod fere quotannis solet accidere mense Januario, quum jam Sol à Tropico Capricorni ad Æquatorem redire incipit) in interiores regiones sese subducunt.

Exinde ad Lacum pervenitur è quo *Paraguayum* flumen egreditur, uti & alter amnis qui *Iguatu* appellatur, hujus ripas accolunt *Xacoæs*, *Xaqueses* & *Chaneses*: à quorum finibus per uliginosa loca in *Xarayum* provinciam transitur. Vrbanior ea gens & agriculturæ dedita, atque etiam nendi haud imperita: agriculturæ partes mares & fæminæ ita inter se dividunt, ut hi sementem curent, illæ autem messem. Hinc per vastam & opacam solitudinem iter est ad provinciam *Tapaguazum*, ubi *Tapapecoes* habitant, omnibus rebus ad vitam necessariis abundantes; Extremi ad hanc plagam degunt *Payzunoes* gens barbara, neque hactenus satis cognita.

Ad diversam ab oppido *Assumptionis* plagam degunt *Maya*, juxta viam quæ ad Peruviam dicit; transitur autem ad eorundem terras, per locum qui ab Hispanis *Puerto de S. Fernando* appellatur.

Hos sequuntur in eodem itinere, sed satis longo intervallo; & superatis aliquot provinciis, quas metallis abundare obscura fama est, *Tamacoæ*: quibus adiacet provincia *Charcarum*, Peruviae pars, de qua supra à nobis dictum. Ambigo, utrum Tamacoæ hi, iidem sint cum *Taguamacis*, quorum *Nusle de Chaves* meminit, qui primus Hispanorum ex provincia *de la Plata*, in Peruviam penetravit: hos autem supra provinciam incolere diximus quæ hodie *S. Cruz de la Sierra* appellatur. l. 10. c. 36.

C A P . VI.

Descriptio oppidi Nostræ Sennoræ de Buenos Ayres.

PRIMUM oppidum hujus provinciæ ab Hispanis appellatur *Nostra Sennora de Buenos Ayres*, à nonnullis quoque *Cuidad de la Trinidad*; à *Petro de Men- doza* conditum primò, anno à Christo Nato c. 1515 ad Australiem Fluminis *de la Plata* ripam, è regione insularum *S. Gabriëlis*, in provincia barbarorum qui vulgo nominantur *Morocotes*, uti Hispani notant. Solum hujus provinciæ fere ubique in planiciem sternitur, collibus & tumulis quibusdam leniter intumescens, præterquam ad oram maris Atlantici, ubi vastis & continuis pene montium jugis concluditur. Id oppidum haud dudum tum stetit, oppidanis ob mutuas discor-

discordias, & alia incommoda alio dilapsis. *Cabeça de Vacca* anno c^{lo} I^o xlii novos Colonos huc traduxit, qui aliquandiu oppidum incoluerunt, rursusque deseruerunt: Mansit deinceps pluribus annis ita desertum: tandem anno c^{lo} l^o lxxxii ab Hispanis jam tertio habitari & redificari coepit, ea formâ, qua hodie visitur.

Situm est oppidum, ut supra, ad sinistram sive Australem magni fluminis ripam triginta quatuor gradibus (ut à nostratis observatum inveni) & quinque supra quadraginta scrupulis ab Äquatore versus Austrum: sexaginta aut, ut alii scribunt, sexaginta & quatuor milliaribus, ab amplissimo fluminis æstuario, sive à promontorio *S. Mariæ* versus occidentem, & mediterranea hujus continentis, ad ripam fluvioli 10 qui in magnum flumen se condit, in clivo leniter edito super reliquum solum; ædificiorum parietes fere sunt lutei, quales Hispani vocant *Tapias*: Arcem adjunctam habet haud magni momenti, luteo itidem vallo circâtam, vix quinq; pedes crasso, & paucis tormentis bellicis instructam. Ipsum oppidum neq; spatiosum est neque frequens, quippe incolas non multum supra ducentos numerans / uti à Belga qui aliquot annis ibi familiam superioribus annis aluit, accepi) qui agriculturæ & pecuariæ potissimum dant operam, & pene singulis annis, permisso Regis Hispaniarum, ad Brasiliam navigant, atque panem biscoctum, farinam, & carnes muria conditas, aut ad solem induratas & similes merces evehunt, in quarum locum merces Europæas reducunt, quo fit, ut Hispani qui Potosiæ & vicinis locis degunt, non raro ad hoc oppidum descendant, & merces illas argento redimant; opulento quidem commercio, sed à Rege Hispaniarum vetito, qui nequaquam è re sua esse existimat, argentum hac via è Peruvia deduci, & vectigalibus suis atque quintis haud dubio hoc modo fraudem fieri judicat. Quapropter licet Hispani, qui hoc oppidum & provinciam *de la Plata* incolunt, Regi sèpe approbare conati fuerint, argentum Potosianum, securius multo, & longe majori compendio per hanc viam in Europam posse traduci, quam per Peruviam, mare Australë & Isthmum Panamensem, tamen hactenus id illi minime persuaserunt, cuius consilii regii nullam aliam rationem divinari possum, quam quod à castellanis argenteum hoc commercium cum Portugallis qui Brasiliam inhabitant communicari, neutiquam consultum judicat. Nam si rem ipsam recta reputes via, nihil opportunius videtur; quum ab hoc oppido ad argenti fodinas Potosianas tantum quadrinquentarum leucarum iter sit, uti accepi (alii quoque longe minorem leucarum numerum produnt, quidam & majorem;) maxima sui parte planum & minime impeditum. 30
l.ii. c.15. Ab oppido enim hoc ad urbem *Cordubam*, quam supra descripsimus, viginti supra centum numerantur leucæ; iter illud agitur per deserta quidem & loca ab hominibus inculta, verum lœta planicie amæna, & graminis adeo feracia, ut innumera armenta & immensos jumentorum greges alant, quæ passim in campestribus hisce locis & rarís nemoribus, sine certis dominis vagantur: jumentis autem & carris toto hoc itinere uti licet, sine ullo barbarorum incolarum metu, qui & admodum infrequentes hic sunt, & fere innoxii, atque incertis sedibus vagi: transcedunt autem aliquot amnes, *Lucan*, *los Arrechivos*, *Arreca*, *Carçarama*, qui 40 omnes in magnum Fluminis *de la Plata* alveum desinunt; Horum præcipuus (nam cæteri haud magni sunt momenti) *Carçaranna*, pene medio ab utroque oppido intervallo, labitur, leni alveo, & qui æstivis mensibus vado transfiri potest, hibernis mensibus nonnihil intumescit, uti fere reliqui Americæ Australis amnes.

Porro ager suboppidanus quidem amœnus est & fœcundus, ita ut omnis generis fruges abunde producat, triticum, Mayzium, melones, pepones & similes fructus; atque adeo quæcumque ad vitam humanam necessaria sunt, oppidanis large subministret; sed provincialis ager effœtior est, raris arboribus, sed multo gramine & prolixo: paucis collibus, nullis aut raris admodum montibus & rupibus, vasta planicie: multi hic cervi agunt, sed mole Europæis neutiquam pares; strutiones innumeri, perdices, anseres atque anates.

Barbari qui hanc provinciam & viciniam incolunt, fere nudi agunt aut luterum (quæ maxima copia hic reperiuntur) exuviis leviter tecti; proceri atque robusto corpore, neque deformi; moribus & institutis à reliquis barbaris

barbaris nihil diversi; piscibus pene vitam tolerant, aut ferina, quare canes venaticos impense amant & supra omnia maximi faciunt: tuguria illorum ex arundinibus composita sunt, & storeis quibusdam adversus pluviam & aëris injurias testa.

C A P . VII.

Metropolis hujus provinciae, cum agro ipsius descripta; itemque alterum oppidum Cuidad Real.

10

METROPOLIS & longe princeps hujus Provinciae urbs, quæ *Nostra Sennora del Assumption* ab Hispanis vulgo appellatur (& à quibusdam, sed ut opinor, per-
peram *Assension*) sita est ad altitudinem quinque & viginti graduum ab Æ-
quatore versus Austrum, uti communiter ab Hispanis traditur: æquali pene intervallo
inter *Peruviam* & *Brasiliam* provincias; à quarum utraque abest circiter ducentas &
quinquaginta aut paulo plures leucas; ab oppido *Guaíra* quod aliis *Cuidad Real* dici-
tur, octuaginta leucas versus occidentem; à *Sancta Cruce de la Sierra* circiter ducentas:
ab ingenti Fluminis *de la Plata* æstuario, sive promontorio *S. Mariæ*, sursum, supra tre-
centas, ut vulgo numerant, nam authores variant.

20 Condita est ad Orientalem ripam fluminis *Paraguay*, quatuor pene leucis supra
confluentem *Pilcamayi* flumini, quod in *Peruvia* è Charcarum montibus oriens, duo-
decim leucis ab oppido *de la Plata* sive *Suchisaca* labitur, & ibidem *Rio grande* appella-
tur & infra oppidum *Assumptionis* (*Guapaygh* nomine assumto) in *Paraguayum* effun-
ditur. Porro urbs hæc opportunitate situs potissimum & oppidanorum frequentia
commendatur, quippe quæ quadringentas familias Hispanorum complecti dicatur,
præter aliquot millia ibidem natorum ex Hispanis & barbaris, quos vulgo *Mestisos*, &
mixtum è Nigritis & Hispanis genus, quos *Mulatos* appellant.

Intra amplissimos hujus urbis fines habitat immensa barbarorum indigenarum
multitudo; qui quotidie magnum incrementum capiunt: *Martinus del Barco* in sua
30 *Argentina* narrat, foeminas & pueros longe numero superare, maribus fere conti-
nuis bellis inter se & cum aliis barbaris multum imminutis.

Ager suburbanus mirum in modum amœnus est; Solum fœcundum & omnis
generis frugum feracissimum, fructusque tam domesticos quam Hispanenses copio-
fissime producens; adhæc & armentis atque pecudibus pascua abunde sufficiens;
unde hic omnis generis annona admodum copiosa & vilis est.

Cœlum salubre & insigniter temperatum, unde arbores hic perenni pene viri-
ditate nitent.

Barbarorum qui in vicinia degunt præcipui sunt *Guatataës*, *Mogalaës*, atque *Gonna-
nen aquaës*, Hispanis addictissimi, & dicto obaudientes, licet non sint ipsis, ut fere
40 alii, in servitutem per tribus attributi. *Herrera* & *Taperues* commemorat gentem la-
trociniis infamem, quæ neque agros colit, neque pecuariam exercet, quam *Cabeça* d. 7.1.5.
de Vacca primis annis ad quietem pellexit Ibidem & *Imperues*, *Naperbes* & *Mayayes* c. 15.
nominat, sed sedes illorum non describit. Alibi & *Triguanum* meminit, gentis belli-
cosæ, quorum provincia haud longe abest à Metropoli hac. Paulo remotiores agunt d. 8.1.2.
Cheriguanes, qui Hispanis olim multum negotii facebant; nunc autem (ut qui-
dam scribit) ab ipsorum obsequio minime recedunt, & pristina ferocitate posita, ur-
banus vivere & humanis carnibus abstinere didicerunt. c. 17.

Haud longe ab oppido, Mons *Lambare* tota hac regione celeberrimus, vaste se
supra reliqua montium fastigia attollit; & adverso flumine ascendentibus occurrit
50 nobilissimus Lacus, quem barbari *Itapuam* nominant, è cuius centro rupes ingens
& supra centum orgyas ardua assurgit.

Oppidum *Cuidad Real* vel etiam *Ontiveros* Hispanis, barbaris *Guayra*, distat à
Metropoli versus *Brasiliam* ad aquilonem, leucas octuaginta; ad ripam *Paranæ* flu-
minis conditum; in agro quidem, ut fertur; fœcundo, & eorum omnium quæ vita
humana desiderat feraci: sed cœlo minus salubri; & statione ob ferocia & irriqui-
ta vicinorum barbarorum ingenia, minus commoda.

Haud

Haud longe ab urbe, *Parana* magno murmure *de Cataracte* supra ducentos , ut ajunt , cubitos alto valide se præcipitat & tot vortices agit , inter rupes & alvei sui angustias , ut non modo navigia sed & lntres uniligneos procul arceat , neque sine extremo periculo queat superari.

Quadraginta circiter leucas supra *Guayram* , ad ejusdem *Paranæ* ripas , alterum oppidum ab Hispanis habitari , canit *Martinus del Barco* , neque tamen illius nomen prodit , quod neque alibi me legisse memini .

C A P. VIII.

Oppida S. Fidei, S. Salvatoris & reliqua hujus provincie.

10

Oppidum *S. Fidei*, Hispanis *Santa Fe*, distat à Metropoli Assumptione, secundo flumine, leucas centum & quinquaginta, ut *Lupus Vazius* scriptum reliquit, & ab oppido *Nostra Sennora de Buenos Ayres* (uti à Belga fide digno accepi) quinquaginta; (licet Hispani intervallum longe majus & circiter centum viginti leucarum inter utraque hæc oppida numerent;) denique ab urbe *Corduba* provinciæ *Tucumanæ*, quinquaginta , vel ut alii tradunt , sed perperam uti opinor, septuaginta. Oppidum tenue est, & frequentia incolarum & condicione *Buenos Ayres* fere æquale; in planicie, quæ ad *Tucumanam* usque pertingit, situm; ad ripam fluminis. Ager illius fertilis, cœlum haud insalubre. Barbari qui intra limites illius degunt , *Chalcini*, dicuntur, & *Mepenes* atque *Chiloacæ*. Oppidani agriculturæ & pecuariæ dant operam; & pannos quosdam rudiiores texunt, quos opulento commercio in Brasilia, *Saccharo*, *Oryza* atq; aliis mercibus permuntant; præsertim in oppido fluminis *de Tenero*.

Ab hoc quoq; oppido iter agitur ad argentifodinas *Potosianas* & porro in Peruviam. iter securum est & peropportunum, per provinciam *Tucumanam* & urbem *Cordubam*, quæ opportunissimo loco sita est & veluti in trivio ; ita ut ab illa & in *Chilem* præfecturam, & Peruviam pertendere & denique versus Metropolin hujus provinciæ Assumptionem deflectere liceat. Non absre fuerit itineris hujus rationes paulo plenius hic explicare: ab urbe *Corduba* Peruviam petentibus, iter agendum est ad oppidum *S. Iacobi* (quod vocant *del Estero*) intersunt octuaginta aut paulo plures leucæ: ab oppido *S. Iacobi* æstivis quidem mensibus , per oppidum *S. Michaëlis*, intervallum est viginti quinque leucarum ; hibernis vero , per oppidum *Nostræ Sennora de Talavera* intervallum est quinquaginta leucarum; (quia prius iter per *S. Michaëlem* eo tempore ob flumen inundationes alto cœno , & crebra uligine impeditum est:) contenditur ad locum, qui ab Hispanis vocatur *las Iuntas*, quia itinera illa hic rursus coëunt; is distat ab utroque oppido, æquali pene intervallo, viginti quinque leucarum: à *Iuntas* rursus, pro anni tempestate, iter agitur aut per *Saltam* aut per *S. Salvatorem* quæ urbs barbaris dicitur *Inyu* , estque *Tucumanæ* provinciæ postrema, distans à *Iuntas* quidem triginta , à *Potosia* vero circiter centum: denique ab hac quidem per valles barbarorum qui *Amoaguaci* dicuntur, inter montium juga enituntur; ab illa vero per confragos colles, qui Hispanis dicuntur *la Quebrada*: verum utrumque hoc iter denuo in unum coit , circiter triginta à *Potosia* leucis. Atque ita si ratio ab Hispanis probe inita fuerit , ab oppido *S. Fidei* ad Argentifodinas *Potosianas* colligitur intervallum trecentarum & quadraginta aut quinquaginta leucarum.

Reliqua oppida sunt ; Vrbs *S. Salvatoris* (alia ab illa de qua paulo ante) ad ripam magni fluminis situ peropportuno.

Et oppidum *S. Anne*, ad ripam *Paranæ*, in provincia barbarorum, quos vocant *Guaranyes*; ager illius planus & campestris , unde non raro à flumine quum hibernis pluviosis intumescens alveum suum egreditur, inundatur. Vtriusque hujus oppidi obiter tantum meminit *Martinus de Barco* in sua *Argentina*.

50

Supra Assumptionis oppidum jacet *Puerto de Guaybianno*, ubi natio *Guarany* desinit; cui succedit *Itabitan*, & porro *Puerto de la Candelaria*: ut Hispani nuncupant, ad ripam ejusdem fluvii, uno & viginti gradibus ab Æquatore versus Austrum, uti *Herrera* prodit, ubi quondam *Ioannes de Ayolas* cum octuaginta militibus à barbaris ex insidiis oppressus & deletus traditur; accolunt barbari *Paraguayas*. Hinc flumen ascendentibus obvii fiunt *Gnaxarapi*, in quorum provincia

supra

supra diximus fluvium qui è Brasilia descendit in *Paraguayum* influere: ultra tenden-
tibus, flumen dividitur in tria brachia, quorum unum est grandis lacus quem vocant
Rio Negro, is ascendit versus Arctum, reliqua duo paulo inferius coeunt. Supra
confluentem rursus alius amnis occurrit, ab occidente descendens, & nomen *Pa-*
raguay jam exolescit, propter plures amnes & lacus, qui tot ora aperiunt, ut navi-
gantes fallant: inter eos celebratur amnis *Iguatu*; id est, bona aqua, quem *Cabeça de*
Vaca ascendit. Atque ita tandem venitur ad *Puerto de los Reyes*; ager hic fertilis & an-
nona copiosa; indigenæ statura corporis modica, nudi agunt & idola lignea colunt.
Ab hoc non magno intervallo distat provincia magni nominis, cuius incolæ vocan-
tur *Xarayes*, de quibus supra egimus.

cap. v.
Her. d. 7.
l. 6. c. 15.

d. 7. l. 6.
c. 16.

cap. 5.

Verum antequam cætera hujus Præfecturæ explicemus; opportunum fuerit de
Tucumana dicere, quam consulto omisimus quum de *Charcensi* provincia, cui vicina
est, ageremus.

T U C U M A N A .

C A P . IX .

Tucumanæ Provinciæ descriptio, ejusque Principalis oppidi

S. Jago del Estero.

Tucumana provincia, tota est mediterranea, distatque quam longissime ab
utroque mari; sed fines jungit ab una quidem parte & versus Occidentem
cum Chilensi Præfectura, ita ut per illam aditum habeat ad Oceanum Meri-
dionalem; ab altera parte sive ad ortum Solis cum provinciis Fluminis *de la Plata*, per
quas ipsi via aperitur ad Oceanum Atlanticum sive Septentrionalem. Cæterum ad
ortum quidem solis, terminatur primum flumine *Vermeio*, ut vocant, quod in valle
Tuivy oriens, ubi ab indigenis barbaris vocatur *Xibixibe*, ita decurrit, ut tandem in
magnum Fluminis *de la Plata* alveum se condat: deinde & *Esterco* flumine quod jam
vulgo *Cianca* nomine notius est, (quia *Ioannes de Ciancas* ad ripas illius à barbaris fuit
caelus:) & interdum appellatur *Rio Grande*; id ex Andibus delapsum, dudum discur-
rit secundum illius radices, donec tandem versus ortum dilabatur, & in idem Flu-
men *de la Plata* se insinuet; fines illius versus Arctum haud diserte explicatos invenio,
versus Austrum quoque non minus sunt incerti.

R. Ver-
meio.

Soli ratio ita se habet: versus præfecturam quidem Chilensem plurimum culti
habet soli; versus Magallanicum plurimas provincias incoltas, nec satis haec tenus
lustratas, quarum tamen magnam noticiam videntur habere oppidani *S. Iacobi del Trapalan-*
Esterco: vocant autem vulgo illam Regionem *Trapalandam*, sed Chilensis præfecturæ
incolæ vocant eandem Provinciam *de la Sal*.

40 Provincia *Tucumana* cœlo gaudet admodum temperato, & solo mediocriter fœ-
cundo: Sed haec tenus (ut *Herrera* testatur) nulla hic auri aut argenti metalla fuerunt
inventa.

Æstas hic sumit initium suum vigesimo tertio Septembbris & desinit in vigesi-
num Martii.

Incolitur à tribus potissimum nationibus barbarorum, *Tucumanis*, *Iuries* & *Dia-*
guitis; inter quos præcipui censemur *Tucumani*, unde ab ipsis potissimum toti provi-
nciæ nomeñ indiderunt Hispani. Initium autem sumunt à finibus provinciæ
Chicarum, quæ natio ad districtum Potosianæ civitatis pertinet; pagi illorum
sunt varii, inter quos nominatissimi, *Morata*, *Chocinoca*, *Sococha* & *Casabindo*; hosce
50 pagos transgressis (loquor de iis qui è Peruvia petunt hanc provinciam) occurrit so-
litudo, quæ quindecim aut viginti occupat leucas, frigidissima regio ob editissimos
montes, atque adeo ipsa Andium vasta & continua juga quibus occupatur: Superatis
autem hisce montibus è vestigio descenditur in calidorem & temperatiorem regio-
nem, per quam via dicit ad Provinciam *Tucumanam*, paululum remota à pagis bar-
barorum, ad majorem securitatem eorum qui hac iter agunt. Sed de hac via mox
plura dicemus.

In

S. Jago.

In hac provincia habitantur hodie ab Hispanis sequentia oppida, *S. Iago del Estero*, *S. Michael*, *Talavera*, *Corduba*, *Salta*, & aliquot municipia de quibus ordine dicemus.

Principalis hujus Provinciae civitas primo dicebatur *Varco*, vulgo nominatur *S. Iago del Estero*. Sita est (secundum *Herrera*) octo & viginti gradibus ab Äquatore versus Austrum, centum & octuaginta leucis ab argentifodinis Potosianis versus Meridiem, paulum declinando versus Ortum: à *Buenos Ayros* autem oppido ad Flu. minis *de la Plata* ripam sito, secundum plerosque centum & octuaginta leucas. Sed de hac distantia paulo post plenius agemus. Gubernator hujus provinciae, utplurimum degit in hac civitate, quemadmodum & reliqui Regis Hispaniarum ministri, & Episcopus, quum in hac urbe sit *Cathedralis Ecclesia* hujus provinciae.¹⁰

Temperies aëris in hac civitate est calida; salubris tamen: Agri solum arenosum & falsum, saxorumque inops, qua re fit ut hic non satis commodè ædes strui possint; pluribus rivulis rigantur agri, ad quos plurimi horti, viridaria & vineta jacent. Lanicium hic exerceri cœpit, ob lanæ abundantiam, è qua omnis generis pannos nigros variosque hic texunt.

Indigenæ jam vestibus amiciuntur, bene morata & culta gens. Accolunt duo maxima & potentissima flumina, quorum unum hanc urbem præterlabitur, & vulgo appellatur *Estero*, quia aquis illius intumescentibus, ripas suas egreditur, seque in plurimos rivos & canales dividens, campestrem omnem atque humilem regionem longe lateque inundat & cœno limoque opplet; ipso autem in alveum suum relapo,²⁰ ingentia arva, tritico, Mayzio, hordeo, aliisque frugibus conseruntur: Unde omnis hic ager mirificè abundat omnis generis annona. Alterum flumen vulgo appellatur *El Salado*, quia aqua illius subsalsa deprehenditur: Utraque autem flumina ab occasu labuntur in Ortum, per regionem planam & campestrem, decem aut duodecim leucarum à se invicem intervallo: utraque majoribus & minoribus piscibus foeta sunt, qui insignem indigenis atque incolis adferunt utilitatem: media regio inter utrumque, mellis & ceræ præbet copiam: nec non gossypii & Carrobarum; qui fructus optime nutriunt, & omnibus anni mensibus maturantur & durant: nec coccinillæ & glasti indiga est regio, quibus lanas suas tingere norunt incolæ. Magna insuper hic est armentorum & pecudum copia: nec non cervorum, aliarumque ferarum: avium omnimodarum præsertim perdicum, palumbiumque ingens numerus. Denique optimæ hic reperiuntur salinæ. Oppidani exercent mercimonia sua laneis & gossypinis pannis, adeo ut merces hæ nummorum loco usurpentur, & ulna eorundem utplurimum æstimatur *dimidio Pezo* sive quatuor regalibus. Maximæ denique illorum pannorum copia dicitur ad oppidum Potosiam & præfecturam Charcensem.

C A P . X.

De oppidis, *S. Michaëlis*, *Talavera*, & *Corduba*.

S. Miguel.

ECUNDUM Hispanorum oppidum in hac præfectura vulgo appellatur *S. Miguel de Tucuman*: Situm est sex aut septem supra viginti gradibus, (nam variant scriptores) ab Äquatore versus Austrum: viginti & octo leucis ab oppido *S. Iacobi del Estero*, juxta viam quæ ad Charcarum provincias dicit, ad radices vastorum & asperrimorum montium, loco opportuno & riguo: nam ab uno latere labitur amnis è montanis descendens (quæ juga vulgo *Quebrada de Chalchaqui* nominantur,) qui una cum aliis amnibus & rivulis, qui ad eundem modum, quinque aut sex leucis ab oppido, de montibus se præcipitant, tandem ad flumen devolvitur, quod oppidum *S. Iacobi del Estero* præterfluit. Ager hujus oppidi Mayzii, atque adeo tritici, hordeique est feracissimus, nec vitium impatiens; pascuis vero supra modum abundans, unde hic armentorum pecudumque maxima est copia: Plurimum gossypii lignique hic colligitur, è quibus oppidani præstantes pannos texunt. Aëre fruitur longe optimo & salubri, quo cæteris hujus Præfecturæ oppidis longe præcellit. Lignandi summa est opportunitas. Nec metallorum effœta creditur tellus, si indicia non mentiantur.⁵⁰

Talavera.

TERTIUM Hispanorum oppidum vulgo appellatur *Nuestra Sennora de Talavera* & barba-

barbarorum lingua non raro *Este*co, jacet autem ad ripam fluminis, quod supra diximus appellari *El Salado*; quinque & quadraginta leucis ab oppido *S. Iacobi del Estero* versus septentriones; centum & quadraginta ab Argentifodinis Potosianis.

Ager illius rigatur à plurimis torrentibus; estque gossypii copia dives, è quo oppidani varios pannos texunt. Abundat præterea melle & cera, diversisque tinturis, quibus industriè lanas suas & pannos inficiunt. Piscatio atque venatio hic imprimis opportuna habetur. Nullæ metallorum venæ hactenus hic fuerunt reper-tæ: distat ab Æquatore sex & viginti gradibus, ut proditur ab *Herrera*.

Quartum oppidum Hispanorum in hac provincia vulgo dicitur *Corduba*, duobus ^{Cordua-}
10 & triginta gradibus atque triginta scrupulis distans ab Æquatore versus Polum ^{ba.}
Antarcticum. Aëris temperies hic lœta est & egregiè temperata, æquabili æsta-tis hyemisque vicissitudine: ager pascuus & campestris, optimusque armentis & pecori, quod hic maximum cepit incrementum: radit illius latus amnis valde pi-scosus: Sesqui autem leuca ab oppido jacent montes & quamplurimæ amœnæ & cultæ valles; in quibus argenti (ut quidam testantur) fodinæ visuntur. Solum non modo tritici, aliarumque frugum est fertile sed & vitium tolerans: denique & Sal-i-næ hic celebrantur.

Conditum est hoc oppidum loco commerciis valde opportuno, nam ad or-tum habet oppidum *S. Fidei*, quod ad præfecturam *Paraguayensem*, sive fluminis ^{de la Plata} pertinet; ad occasum urbem *S. Ioannis de la Frontera*, de qua supra in præfectura Chilensi diximus; æquali pene quinquaginta leucarum intervallo distans ab utraque. Dein hac iter agunt, quicunque è Peruvia descendunt ad Flumen *de la Plata* & oppidum *Buenos Ayres*, ut inde in Hispaniam aut ad Bra-siliam per mare Atlanticum navigent: quia via haud longa est, tuta & ob anno-næ copiam & itinerum compendium facilis, & minime sumtuosa. Incolitur (quemadmodum accepi à Belga qui illac superioribus annis transit) à trecentis circiter Hispanorum familiis qui potissimum agtis colendis & gossypini's telis texen-dis dant operam, & merces suas, ut plurimum vectant ad Argentifodinas Potosia-nas & reliquam Peruviam.

Præterea quum Marchio Cannete Peruviam Pro-Rege administraret, & fi-lius illius Garsias de Mendoza, hanc provinciam gubernaret, conditum hic erat oppidum, quod vocabant *Novum Londonum*; itemque alterum in provin-cia *Chalchaqui*, quod *Novam Corduram* dicebant, quæ paucis tantum annis sub-stiterunt.

Iurie & Diagute populi, qui hic incolunt, laneis vestibus amiciuntur & non nunquam armentorum tergoribus bene præparatis: Pastores sunt ovium è quarum lanis quæstum faciunt: pagi illorum quidem sunt frequentes, sed exigui fere; nam in illis ut plurimum tantum singulæ cognationes degunt; colligunt tuguria in orbem & muniunt illa vepretis, ob continua bella quæ crudeliter inter se gerunt. Gens est ⁴⁰ laborum valde tolerans, neque ebrietati ita addicta, ut pene sunt reliqui omnes barbari indigenæ harum regionum.

C A P . XI .

De aliis aliquot oppidis hujus Præfecturæ & provinciarum in quibus jacent qualitatibus.

PORR O Herrera libro quinto, capite nono, *Decadis* suæ octavæ scribit de-hac præfectura in hunc modum. In præfectura *Tucumana* degunt paucio-res Hispani quam necesse sit; nam si frequentiores hic incolerent, facili negotio plurimi barbari possent subjugari, qui nunc in armis sunt, & provincia hæc locupletissima evaderet. præsertim si barbari subjugati Hispanis ad certum tempus attribuerentur & servitutem servirent, tributaque, uti in aliis Americæ regionibus solent, penderent: nam plurimi tum haud dubio Hispani Peruvia & vicinis provinciis derelictis, hic sedes suas figerent, & duo insuper hic con-di possent oppida: Unum quidem in valle *Salta*, quæ amplitudine & fœcunditate excel-lit,

lit & cœlo fruitur imprimis salubri & temperato, sita viginī quinque gradibus ab Aequatore versus Austrum: agris per amoenis & compascuis, nec minus idoneis ad sementem faciendam ob amnium & rivulorum multitudinem & opportunitatem. Oppidum hīc in meditullio provinciæ constitueretur, loco commerciis exercendis opportunissimo; puta cum indigenis vallis *Chalchaqui*, *Iaivy* & *Omaguacis*, itemque cum reliquis barbaris, qui longe lateque degunt usque ad trajectum fluminis *Eſteco*; quique pagos *Casabindum*, *Sococham*, *Cochincam* & *Moratam* incolunt, denique cum iis populis, qui vulgo *Apata-mæ* appellantur. Quid multa? oppidum hoc regionem omnem inter Peruviam & Tucumanam ita tutam & securam redderet, ut vel uni soli proclive esset inter provincias Peruviam, Tucumanam, & Flumen de la Plata, & ad mare usque Atlanticum, ultro citroque commeare.

Vallis hæc sita est circiter centum leucis ab Argentifodinis Potosianis, & sexaginta ab oppido *S. Bernardi* in valle *Tarixa* sito & denique quinquaginta ab oppido *Talavera*.

Notandum: *Herreram* nusquam alibi oppidi hujus *S. Bernardi* meminisse præterquam hoc loco, neque in descriptione compendiosa Indiarum illius mentionem facere; nos autem supra ostendimus ex relatione Belgæ cuiusdam *Tarixam* oppidulum pertinere ad præfecturam Charcensem.

Pergit *Herrera*. Alterum oppidum condi posset eo loco, ubi quondam fuit ²⁰ *Novum Londinum* (quod ob incolarum infrequentiam statim desertum fuisse diximus) juxta viam quæ à Tucumana dicit ad Chilensem præfecturam. Id enim oppidum conditum fuerat in valle *Quinnibil*, in agro tritici & aliarum frugum fecundissimo, itemque vitium & arborum fructiferarum patientissimo. Incolæ, pars gentis *Diaguitarum*, vestibus amiciuntur, & abundant pecoribus Americanis, nec non, ut ferunt, auri atque argenti metallis.

Didici à Belga illo, (cujus ductum jam sæpius sequutus sum,) superioribus annis, oppidum fuisse conditum in valle *Salta*, quod ab Hispanis *Villa de Lerma* & plerumque vallis nomine barbaro *Salta* appellatur: itemque alterum in valle *Iaivy* quod *S. Salvatoris* oppidum vocant.

Pergit *Herrera* loco prædicto: Trans juga montium, qui vallem *Taryam* seu *Tarixam*, atque *Omaguazam* concludunt, in campestribus locis, quæ à radicibus montium ad flumen *Paraguayum* sensim declinant; ad ripam fluminis quod ab Hispanis *Rio Vermeio* dicitur, operæ quoque precium foret oppidum Hispanorum collocari; nam & campestri & montana regione frui posset; cœlo temperato & fertili imprimis solo: adhæc habet regio illa frequentes indigenas & pecorum summam copiam: & sita est pari pene intervallo à postremis Peruviæ finibus & Præfectura Fluminis de la Plata; ita ut oppidum hoc collocaretur sexaginta leucis ab oppido *S. Bernardi* in valle *Tarya* sito; totidemque ab oppido *Nuestra Sennora de Talavera*, neque pluribus ab oppido *Aſſumcionis* ad ripam *Paraguay* sitæ; denique ⁴⁰ quinquaginta leucis à valle *Salta* & centum circiter ab Argentifodinis Potosianis. Indigenæque harum regionum ita undiquaque ab oppidis & coloniis Hispanorum, veluti indagine cincti, citra controversiam facilius ad Christianam religionem amplectendam adducerentur, & pacifice inter se & cum Hispanis agerent: Denique secundo flumine *Bermeyo* descendit posset in *Paraguayum*, atque inde in flumen de la Plata, & denique per hoc in Oceanum Atlanticum: compendiosoque juxta ac salubri, omniumque rerum abundantissimo itinere argentum & aliæ merces è Peruvia in Hispaniam traduci: Id oppidum minimo sumtu & non magno labore condi posset ab Hispanis qui *Paraguayum* & flumen de la Plata accolunt, quia frequentiores sunt, omnibusque rebus ad hanc rem necessariis, equis, armis, an-⁵⁰ nonaque instructiores, & quod rei caput est, ipsorum magis interest quam *Tucumanorum* viam hanc è Peruvia per ipsorum provincias ad Oceanum aperiti, quippe multo compendiosorem quam per *Tucumanam* aut provinciam *S. Crucis de la Sierra*.

Accepi autem ab eodem Belga: jam superioribus annis oppidum quoddam ædificatum fuisse ab Hispanis ad ripam fluminis *Bermeyo*; nihil tamen secius, octua-ginta

ginta pene ab illo leucarum intervallo, iter per solitudinem institui ad oppidum *S. Iacobi*, ab iis qui Potosiam petunt: Utrum autem hoc oppidum eo situ sit positum, quem *Herrera* hic ante designavit, mihi non plane constat, neque ille fatis poterat explicare.

C A P . XII.

*Iter Belgæ cuiusdam à Buenos Ayres ad Argentifodin, & Potosianas,
per provinciam hanc Tucumanam.*

VT Provinciarum inter se connexio & oppidorum distantiae & situs melius adhuc percipientur, operæ pretium me facturum existimavi si Belgæ cuiusdam iter quod in manus meas incidit, hic adjungerem. Qui à *Buenos Ayres* (inquit) Peruviam aut Chilensem provinciam petunt, iis iter faciendum est per Tucumanam; & quidem primo per urbem *Cordubam*, quæ distat à *Buenos Ayres* circiter centum & viginti leucas, itinere plano fere & campestri, paucisque arboribus vestito, præterquam ad ripas amnium, qui in hoc intervallo transeundi sunt, quorum maximus appellatur *Carcaranna*, pari sexaginta pene leucarum intervallo, distans ab utroque oppido, pluribus & optimis piscibus egrégie fœtus.

Licet tamen iis qui Chilensem provinciam petunt, recta tendere ad oppidum *Sant Ioannis de la Frontera*, relicta ad dexteram urbe *Corduba*; verum ab itinerantibus hæc via rarissime usurpatur, nam licet altera multo brevior sit, utpote haud supra centum & decem leucarum, tamen solitaria est & minus à ferocibus barbaris secura, quam illa per urbem *Cordubam*: iter autem utrumque agitur equis, quorum hic copiam reperiire est, & carris quoque quibus boves junguntur, & merces atque impedimenta imponuntur.

A *Corduba*, extra viam quæ ad Peruviam dicit, circiter centum leucis versus *Aratum* & *Paraguayum*, jacet oppidum *Rioxa*, ubi plurimæ vineæ plantatae visuntur, & plurimum lini seritur.

A *Corduba* (prosequar jam iter institutum) dicit via ad *Sant Iago del Estero* metropolim hujus provinciæ, intervallum est octuaginta leucarum; ager hujus urbis nemorosus est neque admodum fœcundus, postquam fluvius vicinus ripas suas tam crebro quam solebat superare desit, & agros illius limo suo fœcundare; itaque & urbs rariores incolas cœpit habere, quum annonæ inopia hic non raro laboretur, & barbaris vix quicquam ad victum supersit præter *Algarobas*, quem fructum hic vocant *Taco*, & usurpat illum in cibis juxta atque in potu. Barbari autem indigenæ jam plurimum numero sunt imminuti, deficiuntque quotidie, quia tam crudeliter ab Hispanis tractantur, exercent enim illos quotidie magnis laboribus, quorum natura sunt intolerantes, in gossypio colligendo, peccendo, nendoque; & si vel parum negligentiores fuerint in penso suo diurno præstanto, tam immaniter illos flagellant & cædunt virgis, ut non raro sub verberibus misere deficiant & emoriantur. Reperiuntur hic quoque melones & *Tuna*, de quibus alibi satis multa diximus.

Ab oppido *Sant Iacobi* iter institui potest duabus modis: uno ad oppidum *S. Michaëlis*; intervallum est leucarum viginti quinque: hujus oppidi ager fœcundus est, nemorosus juxta atque pascuus; unde hic magna armentorum & pecudum, etiam jumentorum reperitur copia: & vilis habetur annona. Altero ad oppidum *Talaveram* sive *Esteco*; intervallum est quinquaginta leucarum: superato autem fluvio qui *S. Jacobum* præterlabitur, quatuordecim leucarum iter agitur per provinciam aquarum valde indigam, donec veniatur ad flumen *Bermejo*, (quod ab undarum colore rubicundo nomen accepit, cæterum pisco. R. Ber. sum admodum;) hinc deinceps secundum ripas fluminis inceditur, usque ad *mejo*. alterum amnem, qui transeundus est, bidui fere itinere ab *Esteco*. In hujus agro nascitur gossypium summa abundantia: annona tantum modica habetur.

Ab utroque oppido tam *S. Michaële* quam *Talavera* proficiscuntur ad *Iuntas* sive alio nomine *Madrit*, qui locus distat ab illo quidem quinquaginta, ab hoc tantum vi-ginti quinque leucis; nominaverunt autem hunc locum *Iuntas*, quia ambo itinera illa hic rursus coëunt.

A *Iuntas* solebant iter prosequi ad *Saltam*, nunc autem ut plurimum petunt *Susuvy*, vel *Xuxuy*; quorum hoc distat à *Iuntas* viginti quinque leucis, illud vero viginti octo vel paulo pluribus. Utrumque autem alluitur à singulis amnibus; qui utriusque è montibus Peruviae descendunt & petunt magnum flumen *de la Plata*. Distat autem utrumque oppidum intervallo duodecim leucarum.

Porro *Salta*, ut hoc oppidum quod jam rarius adiri volunt absoluam, habet in vicinia, sed satis longo & circiter quadraginta leucarum intervallo, præstantissimas salinas, è quibus sal eruitur pellucidus instar glaciei; qui maximo oppidanis trium harum urbium *Iuntarum*, *Saltae* & *Susuvy* usui est, ob armentorum copiam, quæ hic mactari & sale condita ad solem siccari solent, utili commercio cum Peruvianis, & imprimis Argentifodinis Potosianis.

Porro à *Susuvy* (vel *Iniuvy*) proficiscientibus, annona omnis equis mulisque ve-ctanda est; nam transeundum est deinceps per solitudinem omnis annonæ indigam, donec ingrediantur provinciam barbarorum, qui appellantur *Omaguaca*; Hi im-primis sunt opulenti & culti; amiciuntur laneis vestibus, infinitus enim hic reperi-tur ovium illarum Peruvianarum numerus, quarum lanas & carpere, & dextre 20 nere & texere jam olim neverunt. Provincia illorum magis temperata est quam calida, si non paulo frigidior: communis illorum cibus est *Mayzium* aut radices papæ.

Iter instituitur ad hunc modum. A *Xuxuy* (nam ita quoque scribitur) secus ri-pam fluvii ad diversorium, quod vocant *el Tambo de Don Francisco* sunt septem leu-cæ: In hisce Tambis, Regis Hispaniarum decreto, serviunt indigenæ per vices suas advenis, præbentque illis gratis stramen subvehuntque aquam & ligna: iidem & custodire tenentur jumenta & impedimenta, & si quid eorum perdatur, re-pendere.

A *Tambo Francisci*, ad municipium quoddam barbarorum, ubi alterum est di-versorium, leucæ numerantur octo; iter agitur secundum ripam fluvii & interdum per ipsum, nam quo altius ascenderis, eo minor & vadosior accidit.

Ab hoc oppidulo discedentes, fluvius & provincia horum *Omaguacarum*, re-linqua, & editus quidam mons transcendens, descendendumque in frigidam & incultam regionem, in qua acriter friget, præsertim mensibus Julio & Au-gusto: quare hic sementem nequeunt facere, & pauca hic reperiuntur animalia, præter Vicunnas & Guanacos, atque Vulpeculas: sub illo monte autem aditum di-versorium; à quo ad locum, quem vocant *de Pennas* septem numerantur leucæ, hic itinerantibus sub dio cubandum est, inter rupes & saxa, unde loco nomen ab His-panis inditum, nisi forte tentorium tecum portaveris. Hinc pervenitur ad *Paragon-40-nes*, hic quoque nullæ sunt ædes, sed tantum veteres quædam maceriae, intervallum itidem septem est leucarum.

A *Paragones* ad diversorium *de Crangejos*, (quod nomen accepit à Carmaris qui ibidem magno numero in torrente quodam reperiuntur) totidem leucæ de-signantur.

A *Crangejos*, ad diversorium, quod dicitur *La Cenega de Don Diego de Spiloca* totidem numerantur leucæ; est autem paludosa & cœnofa convallis (uti & nomen ipsius indicat) *Didaci* hujus, viri opulentissimi & satis industrii, (licet indigena sit) peculium in quo supra quadraginta millia armentorum ab ipso possideri ferunt.

A *Cenega ad Estanciam*, ut vocant, *del Tresorero* sunt sex leucæ: Id prædium est rusticum, ubi multa itidem armenta aluntur.

Ab *Estancia* hac ad diversorium quod jacet ad ripam amnis *Talinae* numerant sex leucas; itinere aspero & satis difficulti, nam arduus mons descendens est: fluvius autem hic inflatur pluviis mensibus, illisque transitur cum discrimine; no-men accepit à municipio Indigenarum ad ripas illius sito, quod vocatur *Talina*:

Ager

Ager hujus municipii Mayzii atque adeo tritici feracissimus prædicatur; sed aët hic calidior est.

Chicarum popolorum provincia sumit hic initium, quæ pertingit ad ipsos fines civitatis Potosiæ: barbari hi sic satis sunt culti, & industrii imprimis metallici, unde maximus horum numerus in Argentifodinis, ut plurimum occupatur: provincia illorum argenti venis scatere dicitur, quarum quædam jam eruuntur: magnum quoque ovum Peruvianarum numerum dicuntur possidere.

A *Talina* ad *Cenagillam* leucæ itidem sex numerantur: hæc regio paulum frigidior est superiore, pascitque haud ita magnum numerum armentorum, atque pecorum; à cæno quoque nomen videtur invenisse apud Hispanos.

A *Cenagilla* ad *Tambillo de Anton genoves*, totidem designantur leucæ; est autem transeundum per oppidulum barbarorum, quod appellatur *S. Iago de Cotagayta*, præterlabitur autem amnis, qui vado transfiri potest: regio hæc rursus calidiori est aëre & nemorosior.

A *Tambillo* hoc ad fluvium, vulgo *Rio de Toropalca*, designantur septem leucæ; Toro-palca. fluvius hic itidem nomen accepit ab oppidulo quodam barbarorum, quod alluit, iplis *Toropalca*. Hic itinerantibus sub dio ad ripam fluvii cubandum est; regio itidem est calida & plurimis arboribus amœne vestita.

A fluvio illo ad barbarorum municipium, quod nominant *Caysam*, numerantur *Caysa*, 20 aliae septem leucæ: hic pernoctatur in *Tambo*, ubi plurimi sunt barbari qui advenis ministrant, & necessaria conquerunt.

A *Caysa* porro ad alteram *Cenagillam*, ut vocant Hispani, iter est leucarum novem; hic quoque itinerantibus sub dio cubandum est; regio præterea est frigidior & lignorum pene inops.

Porro à *Cenagilla* hac (quæ nomen à re invenit, est enim regio paludosa) ad urbem Potosiam restant tantum leucæ quinque. Atque ita colliguntur ab oppido *Buenos Ayres* ad argentifodinas Potosianas, in universum leucæ trecentæ & quinque supra nonaginta secundum Belgæ hujus computum: atque hic desinit provincia *Chicarum*, quæ versus alias plagas adhuc late patet.

30

C A P . XIII.

Ratio ejusdem itineris secundum alios.

QUANQUAM Itineris hujus ab oppido *Buenos Ayres* ad argentifodinas *Potosianas* rationes satis accurate à Belga nostro subductas opinor, utpote qui iter hoc absolverit & studiose litteris consignaverit: tamen non putavi prætereundum, distantias oppidorum paulo aliter ab aliis designari, qui non minus se illud iter egisse profitentur. Si designant inter oppida *Buenos Ayres* & *Cordubam* intervallum centum & quinquaginta leucarum, quod triginta leucis superat nostratis computum. Testanturque iter esse planum, & facile; & singulis quinque, sex aut septem leucis ad summum reperiri rustica prædia, aut commoda diversoria, omnisque annonæ abundantiam; barbaros denique ubique, & minime malos, & ut plurimum inermes. Totaque hac regione passim plurimos equos equasque vagari; indomitos quidem illos, sed qui facile à barbaris capiantur & venundentur octo aut duodecim regalibus, neque difficulter ab Hispanis domentur: In oppido *Corduba* denique reperiri plures & præstantes mulos, & currus qui à bobus trahuntur; eam habitati circiter à quingentis aut sexcentis Hispanis, paucis Nigris, 50 pluribusque indigenis illarum provinciarum.

A *Corduba* ad *S. Iago del Estero* itidem esse intervallum centum & quinquaginta leucarum quod sane septuaginta leucis intervallum à nostro proditum excedit, ita ut hos potius falli existimem, quam illum.

A *S. Iago* ad *Este* sive *Talaveram*, numerant illi quinquaginta leucas, in quo jam plene convenient cum nostro.

Ab *Este*co ad *Xuxuy*, numerant alias quinquaginta leucas, in hoc quoque non male convenientes cum nostro, aut parum saltem differentes.

A *Xuxuy* ad urbem *Potosiam* designant centum leucas; in quo tantum à nostro differunt quinque leucis; quæ differentia non est magni momenti.

Hi autem in universum colligunt inter *Buenos Ayres* & *Potosiam* leucas omnino quingentas, qui calculum nostratis nimium excedunt; neque mihi fit verisimile tantum intervallum esse posse, aut nostratem tam insigniter in suis rationibus falli potuisse; ita ut illum sequi malim, quam hosce; idque eo magis quod orarum ad utrumque mare situs, nequaquam videatur hic tantam Continentis latitudinem ferre posse. Sed suum cuique sit judicium donec controversia liquidius decidatur.

Atque ita descriptionem Mediterraneæ Provinciæ *Tucumanæ* absoluimus, quam consulto distuleramus ad hunc locum, ut Provinciæ huic, quam jam tractamus, lumen aliquam affunderet, atque una opera, cohærentiam provinciarum apertius designaret, & itinera, per quæ in Peruvianas provincias inde à mari Atlantico penetratur, explicatione lectoribus redderet. Nunc ad Provinciam *de la Plata* quæ hujus libri subjectum est revertemur.

C A P . XIV.

*Ora maritima Præfecturæ Fluminis de la Plata, inde à Promontorio
Septentrionali magni illius Aëstuarii ad
Brasiliam usque.*

OR A pene universa Præfecturæ hujus *de la Plata*, usque ad Brasiliam, tantum obiter adhuc cognita est, ita ut diversa plane à variis diversarum nationum scriptoribus de illa tradantur; quorum delectum habentes, longe optimum putavimus ea tantum referre quæ ab *Emanuele de Figueiredo Lusitano* in itinerario nautico, atque à *Theodoro Reutero* nostrate traduntur, siquidem illi accuratiores in hac opera existimantur.

Figueiredus itaque à Promontorio *S. Mariae* ad portum *S. Petri* numerat leucas septuaginta, nec ullorum locorum meminit intermedio spatio: *Reuterus* vero designat ab eodem promontorio, ad alterum *Terra Cornu*, cui duæ insulæ objacent, leucas decem: harum insularum una illi vocatur *Ilha des Castilhos*, à forma arcis quam eminus exhibit: distat ab Aëquatore versus Meridiem quatuor & triginta gradibus & quadraginta scrupulis; ab Insula de *Castilhos* ad *Mar-manso* leucas sex supra viginti; à *Mar-manto* denique ad magnum flumen, quod idem est cum portu *S. Petri*; itidem leucas sex & viginti; omnis hæc ora sternitur pene inter Africum & Aquilonem, estque arenosis tumulis passim obsita: ita ut rationes utriusque hic discrepent leucas octo.

Flumen hoc *Grande* sive *S. Pedro*, angustum quidem habet ostium, sed intus dividit se latius, ascenditque versus *Corum*, ad provinciam usque illorum barbarorum quos vulgo vocant *Patos*, ita ut hoc flumen inter meliora & altiora, navibusque opportuniiora merito recensetur.

Post portum *S. Petri* sive *Rio Grande* recenset *Figueiredus* fluvium *Tamarandahu*; incerto intervallo, sed intervallum prodit noster *Reuterus* leucarum decem.

A *Tamarandahu* ad *Rio Iboipetinki* numerat *Figueiredus* quatuordecim leucas & semissim; ab eo ad *Araranguam* decem, & quinque porro ad fluvium de *Lagoa*: verum *Reuterus* noster statuit à *Tamarandahu* ad *Araranguam* quatuordecim leucas; & ab illa ad *Lagoam* novem; manifesto iterum discrimine. *Lagoa* dicitur aliis portus *de Biasa*, tantum minoribus navigiis patens ad latus quod versus Austrum inclinat, exiguum insulam habet objectam, quam vulgo vocant *Reparo*, sub qua anchoræ commodissime in recessu quodam sinus figuntur.

A *Lagoa* ad *Vpabam* numerat *Figueiredus* quidem octo leucas, *Reuterus* autem tantum sex; vocatur quoque ab Hispanis *Barra de Ibuasup*, & *Rio de Vpaba*; amnis ore quidem

quidem minus lato, neque supra sex palmos alto, interius tamen luculentior & alicujus nominis; ad hunc enim Patorum barbarorum de quibus supra diximus, terras desinere volunt Hispani.

Ab *Vpaba* ad Insulam *S. Catharine* numerat *Figueredus* decem leucas, è cuius regione ex ora continentis egreditur *Rio de Patos*, novem & viginti gradibus ab *Æquatore* versus Austrum: *Reuterus* vero constituit inter *Vpabam* & *Rio de Patos* tantum septem leucas, ex adverso Australis Anguli Insulae *S. Catharine*.

Vniversa hæc ora quam hactenus obivimus, habitatur à barbaris Anthropophagi quorum plerique infensissimi quidem sunt Lusitanis; sed nihilominus & omnibus Europæis merito cavendi; maxime tamen metuendi sunt aliis Europæis, ii qui Lusitanis jam obnoxii sunt facti. Abstinendum denique navigantibus omnibus ab hac ora à mense Martio ad Augustum, hiems enim tum est in hisce regionibus; iisque mensibus & acre frigus sentitur hic, & validæ accidentunt ventorum tempestates, creberimique nimbi, & mare supra modum fluctuat.

Porro Insula hæc *S. Catharine*, patet in longitudinem quidem inter Austrum atque Arctum circiter octo leucas; ad latus ejus Orientale statio nulla est opportuna, nisi forte sub minutâ quadam Insula, quæ Australi illius Angulo adjacet, vocaturque *Isla de Arvoredo* (quia crebris arboribus cernitur vestita) navigantibus peropportuna ob aquandi & lignandi commoditatem, quæ alioquin ad hanc oram admodum rara est.

Ab Insula *S. Catharine* ad alteram Insulam quam vocant *Galen*, numerant tres leucas; ad Continentem autem à Promontorio *Mandivi* versus Austrum, signatur sinus quidam plurimis insulis refertus qui barbaro nomine appellatur *Toiyuga*: Promontorium autem illud distat ab *Æquatore* octo & viginti gradibus, atque quindecim scrupulis, versus Austrum.

A *Mandivi* Promontorio (secundum *Figueredum*) versus Corum secundum orarum ductum navigantibus occurrit sinus, quem Lusitani nominant *Euseadam de Garoupas*, & porro edita ora usque ad fluvium qui appellatur à barbaris *Tajahugh*; intervallum est leucarum sex.

30 A fluvio *Tajahugh* ad fluvium *S. Francisci* leucarum septem & viginti intervallum proditur: medio autem spacio egreditur è Continente fluvius *Tapuca*.

Reuterus autem noster numerat à Promontorio illo *Mandivi* ad fluvium *Tajahugh* quinque tantum leucas, ora diducta hic inter Africum & Aquilonem. Scribitque Continentem intermedio spacio admittere amplissimum quendam sinum *Garoupas* dictum: fluviumque *Tajahugh* distare ab *Æquatore* versus Austrum octo & viginti gradibus.

Tajahugh amnem sequitur ad eandem oram fluvius *Tapuca*, quem hactenus non satis lustratum à quoquam fuisse invenio.

A *Tapuca* ad fluvium *S. Francisci* numerat *Reuterus* noster leucas duodecim, 40 inter Corum & Eurum: fluvius autem hic *S. Francisci*, duo habet ostia, quæ ad mare patent duas leucas, injacent autem tres insulæ secus quas & ab Austro & ab Arcto naves ingrediuntur: Canalis qui ab Austro intrat peculiari nomine à barbaris appellatur *Aracari*, qui vero ab Arcto subit *Bopitanga*; raro admodum aditum hic fluvius à navigantibus.

A fluvio *S. Francisci* ad Lacum *de Parnagua*, ut vocant, sunt duodecim leucas secundum *Reuterum*; aut secundum *Figueredum* quindecim: jacet ad altitudinem quinque & viginti graduum & decem scrupulorum, aut ut *Figueredus* observat quadraginta scrupulorum. Lacus hic *de Pernagua* situs est in montanis *Pernapiacaba*, patetque in longitudinem secundum littus quinque aut sex leucas: tres omnino canales ex illo egrediuntur in Oceanum; quorum maxime Australis appellatur à barbaris *Ibopupetuba* sex orgyas in ipso ore altus, & circiter leucam unam intra ostium stationem habens peropportunam: medius qui ab hoc distat unam duasve leucas versus Arctum vocatur *Baysaguazu*, in ipso aditu circiter quinque orgyas altus; tertius qui circiter medianam leucam aut duo millaria communia à medio distat, dicitur *Suparabu*, circiter sex orgyas in ostio altus.

A Lacu de Parnagua ad Ararapiram numerant quinque aut sex leucas: fluvius itidem est ita barbaris appellatus, circiter quatuor orgyas in ipso ore altus. Haec regio abundat omnis generis annona, & pluribus atque optimis fructibus; aquatio hic peropportuna. Indigenæ infensissimi esse dicuntur Lusitanorum hostes, ita ut ab iis sit cavendum omnibus, præterquam illis qui se Hispanorum hostes profitentur, his enim supra modum favent. Hic fluvius egreditur in Oceanum juxta Australe Insulæ Cananeæ cornu, quæ hic sinum quendam implet: secundum cornu autem ejusdem quod Arctum adspicit, ingrediuntur naves flumen, quod barbari vocant Itacuatiaram, ubi principalis statio Cananeæ esse dicitur; ostium illius altum esse prædicatur orgyas quinque.

¹⁰ Figueredus statuit intervallum inter Ararapiram & Itacuatiaram (de quibus jam diximus) ubi Lusitani jam incolunt, duas leucas & semissem.

Ab Itacuatiara porro ad fluvium qui à barbaris appellatur Vguaa, numerant decem leucas; fluvius hic in ipso ostio altus esse dicitur orgyas quinque, itaque majoribus navigiis haud importunus judicatur.

A fluvio Vguaa ad Capivarii numerantur decem leucæ secundum Reuterum, aut duodecim secundum Figueredum, ora jacente hic inter Aquilonem & Africum. Atque hic fluvius tantum duo milliaria distat à Praefectura S. Vincentii ubi Brasilia incipit, patetque versus ortum, in ostio haud supra tres orgyas altus.

²⁰ Figueredus nos docet ad ripam hujus fluvii jam incolere Lusitanos, in municipio quod ipsis appellatur Nuestra Sennora de Concepcion; stationem autem navium appellari à barbaris Itatiaeno.

Atque ita oram maritimam præfecturæ de la Plata, quæ à magni fluminis æstuario, sive Promontorio S. Mariae se longo intervallo porrigit ad provincias usque Brasiliæ absolvimus; in qua nihil memorabile occurrit; & nos convertemus ad notiora, & ipsius Brasiliæ nobilissimæ provinciæ descriptionem.

DESCRIPTIO



